

culum Aequinoctiale, vt dictum est, suam explet circuitionem ab oriente in occidentē, horis 24. equalibus, qua dicuntur hora Aequinoctiales; hoc est spacio vnus diei naturalis; Vnde & eius motus Diurnus est appellatus. Huius autē motus impetu omnes inferiores orbes, immo & tota sphaera ignis, & magna pars aeris, & secundum quorundam sententiam bona pars oceani ab ortu ad occasū rapiuntur. Ex quo fit, vt isto motu diurno Sol, & reliqua omnia astra, caliq; puncta singula, quotidie parallelos circulos super axem mundi rectos describant circa polos mundi, eo quidem maiores, quo magis a polis recedunt, minores vero, quo magis ad polos accedunt; Vnde Aequinoctialis circulus est omnium parallelorum maximus, quoniam describitur à puncto maxime remoto ab vtroq; polo, nempe per 90. gradus. Porro inferiores orbes omnes eadem prorsus, qua primū mobile, velocitate circumducerentur, nisi peculiaribus suis motibus aliquantulum retrocederent. Nullū enim resistentiam reperit primū mobile in caelis inferioribus.

NAM NONVS orbis subsequens, spacio 24. horarū, hoc est, vnus diei naturalis, ab occasu in ortū progreditur quatuor fere particulis sexagenarijs ex ijs, quae ab Astronomis Quarta appellat, ita vt singulis annis conficiat 26. secunda, totidemq; tertia, Ducentis vero annis 1. grad. cum 28. min. fere iuxta Alphonsinas tabulas. Vnde totum cursum per Zodiacum absoluet quasi in 49000. annorum spacio. Quod quidem spaciū, seu tempus, appellari solet annus Platonius. Hoc enim intervallo sydera omnia ad eundē situm reditura autumāt; Immo quidam volunt, tunc omnia, quaecunq; nunc in mundo sunt, eodem ordine esse reditura, quo nunc cernuntur. Motus fuit autem fortassis Alphonsus Rex, vt assereret periodum huius motus compleri in spacio 49000. annorum, quoniam Aequinoctia, & Solstitia quotannis in Calendario retrocedunt per Min. 10. Sec. 44. vnus hora: Et in annis 400. per dies ferme 3. Ita vt in dicto spacio annorum 49000. ad primam sedem redeant. Ptolemaeus autem asseruerat, hunc motum perfici in 36000. annorū Circulo, ita vt vnus gradus percurratur in 100. annis. Albategnius vero vult, istum motum absolui spacio 23760. annorum, ita vt peragat vnum gradum in 66. annis. Qua vero de causa tam varie de periodo huius motus senserint Astronomi, mox declarabitur: Nunc ratum sit & certum, Nonum orbem motu isto tardissimo ab occidente in orientem trahere secum omnes 8. inferiores sphaeras caelestes.